



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

L. De Fratibus, qui longè ab Oratorio laborant, in via sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

3. Similiter à prima Dominica de Aduentu incluse, incipimus abstinere à lacticiniis, & secunda feria ieiunare, continuando vsque ad festum sacratissima natiuitatis Domini.

*De Fratribus qui longè ab Oratorio laborant,
aut in via sunt. CAP. L.*

FRatres qui omnino longè sunt in labore, & non possunt occurrere hora compententi ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore Diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt non eos prætereant horæ constitutæ, sed vt possunt agant sibi, vt seruitutis pensum non negligant reddere.

I. (FLECTENTES GENVA.) Intelligimus, quando dicitur Pater noster & Collecta, temporibus quibus est ordinatum ab Ecclesia quod tunc dicentes officium genuflectant.

De fratribus, qui non satis longè proficiuntur CAP. LI.

FRatres qui pro quouis responso proficiuntur, & ea die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiam si à quouis rogentur: nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur.

H I. NON